Keep cover

(E B Pusey)

328.

BILITATE

INIENDA

ICA

LIS

DE

PONTIFICIA INFALLIBILITATE

QUALIS

IN CONCILIO VATICANO DEFINIENDA
PROPONITUR

DISSERTATIO THEOLOGICA

> Non possumus aliquid adversum veritatem; sed pro veritate.
>
> *II Cor. XIII.* 7.

> Nullum corpus est quod suo capite non regatur. Sed ut omne corpus capite regatur, ita ipsum caput, nisi sustineretur a suo corpore, firmitatem et vigorem suum perdit, et non tenet quam habuerat dignitatem.
>
> *Ep. Sixti (Romani Pontificis) ad Episcopos per Illiricum.*

NEAPOLI
TYPIS FRATRUM DE ANGELIS
in Via Pellegrini 4
MDCCCLXA

Presented to Rev. D. Pusey, with the respects of the writer, P. R. Kenrick, Archbp. of St Louis.

INDEX

CAPUT I.

Status quaestionis

Gravissima est quaestio quam tractandam suscepi.

Proposita definitio Pontificiae Infallibilitatis ex canone quem subjungo satis innotescet.

« Caput addendum decreto de Romani Pontificis Primatu.

« Romanum Pontificem in rebus fidei et morum definiendis errare non posse.

« Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine, recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei firmitatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri (1). Et quia non potest Domini Nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis : « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (2), »

(1) Ex professione fidei edita a Graecis in Conc. Oecum. Lugdun: II.

(2) Matth. XVI. 18.

haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina: (1) hinc, sacro approbante Concilio, docemus et tanquam fidei dogma definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona Petri dictum est ab eodem Domino Nostro Jesu Christo: « Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua,» (2) cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem objectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse ».

Aliquid novi in hoc canone contineri negari nequit; siquidem a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecturus dicitur, quicumque sententiam hucusque inter theologos libere ventilatam in posterum negare praesumpserit. In clara luce proinde ponendum est discrimen quod inter eam sententiam, quam Concilium Vaticanum tanquam fidei dogma ab omnibus credendum fidelibus proponere in procinctu videtur, et eam quam, absque ecclesiasticae communionis discrimine, plures, iique doctissimi theologi, olim tenuerunt et adhuc tenent et propugnant. In propositae definitionis sententia, Papa, se solo, absque ullo episcoporum interventu, sive in concilio sive extra, est infallibilis, quando in rebus fidei et morum aliquid ab universa Ecclesia tenendum definiat; cum in sententia contraria docea-

(1) Ex formula S. Hormisdae Papae, subscripta a patribus Conc. Oecum. VIII. Constan. IV.

(2) Luc. XXII. 32.

tur eum tunc tantum pro infallibili habendum, cum, assentientibus episcopis, sive in concilio, sive extra, aut saltem haud renitentibus, aliquid proponat. In hac sententia, tanquam caput corpori inhaerens aut ei conjunctum, loquitur; in altera autem ei definienti corpus, velit nolitque, adhaerere tenetur. Non igitur in iis quae scripturus sum inficior Papam esse infallibilem, quando cum episcoporum collegio, cujus est caput et pars praecipua, concordat; sed nego eum pro infallibili habendum, nullo episcoporum orbis universi assensu accedente.

Contra sententiam propositae definitionis objicio, eam carere auctoritate Sacrae Scripturae, et ecclesiasticae traditionis prout in libris Patrum et Conciliorum actis habetur; eamque duplicem inducere in Ecclesia infallibilitatem quam nec ratio admittit nec episcoporum certissima jura patiuntur.

CAPUT II.

Testimonia novi dogmatis e Verbo Dei Scripto desumpta

Nullum clarum et indubium sententiae istius testimonium in Sacra Scriptura occurrit. Tria quidem loca consueverunt allegare ejus patroni; verba nempe Christi ad Petrum directa *a)* Matth. XVI, 17-19; *b)* Joannis XXI, 15-17; *c)* Lucae XXII, 11-12.

1.

a) Verba Christi: « Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: et portae inferi non praevalebunt adversus eam », ostendunt quidem Christum Petro prae caeteris apostolis, privilegium, ut ecclesiae praecipuum ministeriale funda-

mentum esset, contulisse; id quod in primatu tum honoris tum jurisdictionis Romanorum Pontificum, tanquam Petri successorum, ecclesia semper agnovit. Eum autem et ejus successores a fide deficere non posse minime probat locus citatus; cum omnes apostoli eodem fundamenti titulo cohonestati sint (Eph. II, 20, Apocalypsis XXI, 12), quin tamen in mentem ulli venerit exinde colligere, eos eorumque successores, vi istius appellationis, inerrantiae donum accepisse. Ex verbis quidem Christi, ad omnes apostolos, Petro cum caeteris connumerato, directis (Matth. XXVIII, 25-28), eruitur, promissam illis fuisse divinam assistentiam, qua possent munus iis demandatum ad finem usque saeculorum adimplere. Haec conclusio, non ex metaphorica locutione, sed ex simplici verborum Christi enunciatu deducta, ostendit, quantum inter se distent Ecclesiae Infallibilitatis probatio et ea quam ex figurato loquendi modo, Matth. XVI. adhibito, quem Patres tam varie interpretati sunt, educere conantur Pontificiae inerrantiae assertores. Neque dicatur aedificii firmitatem in se continere fundamenti, cui inaedificatum sit, stabilitatem; id quod verum est; sed exinde non sequitur illam ab ea derivari; cum dici debeat Christum utrique, conjunctim non autem divisim, providisse, ut ex verbis supra allatis constat; proindeque eos errare qui quos Deus conjunxit separare attentent, non autem eos qui utriusque, tum fundamenti tum aedificii, jura ac privilegia, absque alterutrius detrimento, tutari conentur.

b) Verba Christi ad Petrum (Joannis XXI. 15-17) quibus ei agnos et oves pascendos concredidit, ostendunt quidem ei collatum fuisse munus pastorale quod ad universum Christi gregem sese extenderet, quin tamen exinde sequatur, ei magis quam caeteris apostolis, eodem munere gregem Dominicum pascendi auctis, promissum fuisse donum inerrantiae; cum aliter Christus Ecclesiae indefectibilitati esset

provisurus. Quod nonnulli recentiores, « per agnos » populum fidelem, per « oves » autem, pastores, episcopos nempe, intellexerint; et inde erui posse argumentum contenderint, episcopos aeque ac populum fidelem, eodem prorsus sensu, Petri, ejusque in Romana Sede successorum, pastorali curae concreditos fuisse, caret fundamento ; cum in textu Graeco utraque vox « agnos » et « oves » eodem prorsus vocabulo προβατα exprimatur. — Quaenam autem sint partes Petri caeterorumque apostolorum in Christi grege pascendo, non ex hujusmodi argutiis, sed ex verbis Domini claris, inter se collatis, colligere debemus. Huic interpretandi Christi verba rationi adjungenda est ea quam Ecclesiae monumenta temporum quae ejus ortum subsecuta sunt, exhibent, et quae nobis reddunt sensum quem his verbis inesse agnoverit antiquitas, apostolicae traditionis fidelis custos.

c) Nec magis valent ad probandam Pontificiam infallibilitatem verba Christi ad Petrum : « Simon, Simon, Satanas expetivit ut cribaret vos sicut triticum ; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Tu autem conversus, confirma fratres tuos ». (Luc. XXII. II. 12.) In his palmare argumentum invenire se putant istius sententiae advocati. Habita autem ratione rerum adjunctorum in quibus Christus ea protulit, et verborum quae postea ad omnes apostolos direxit, non videtur munus aliquod, ad Ecclesiae regimen pertinens, tunc Petro collatum fuisse; multo minus inerrantiae donum ei his verbis promissum. Monitum quidem continent, quo ad imminens discrimen, cui objiciendus esset, superandum , aut potius cavendum, hortatus est eum Christus ; simulque intimationem, eum post lapsum conversum iri, et caeteros apostolos confirmaturum.

Rogavit igitur Christus pro Petro, qui, ut prae caeteris apostolis munere distinguebatur, prae caeteris etiam cribandus a Satana petebatur, et prae caeteris defecturus et-

iam praevidebatur. Rogavit Christus ut non deficeret fides ejus, id est, ut fiduciam, qua Domino suo hucusque adhaeserat, omnino, aut in perpetuum, non amitteret; et ut post lapsum, in se reversus, id est, conversus, caeteris animos addere haud negligeret. Hoc praestitit Petrus, post Domini Resurrectionem, cum eam lubenti animo agnoverit, et caeteris discipulis annuntiaverit; ut ex verbis eorum qui Emmaunte redeuntes allocuti sint, constat: « Surrexit Dominus vere, et apparuit Petro ». Non igitur de fide, tanquam doctrinarum revelatarum corpore, in quo sensu ista vox nunquam videtur a Domino adhibita fuisse; nec etiam de fide, tanquam virtute theologica, qua Deo sese revelanti credimus, — in quo sensu semel forsan et iterum in Ejus dictis occurrit; sed de fiducia qua ei tanquam Magistro hucusque adhaeserat Petrus, verba Christi accipi debent. Nemo inter veteris Ecclesiae patres noscitur verba praedicta in sensu recentiorum accepisse; primusque qui ea sic acceperit dicitur fuisse Agatho, in epistola ad Patres sexti Concilii, quem secuta est deinde turba interpretum: saltem ante septimum saeculum non invenitur.

Illa autem verborum Christi interpretatio, qua Dominus Petro ejusque successoribus, Romanis scilicet Pontificibus, munus imposuit fratres suos, apostolos nempe et episcopos eorum successores, in fide confirmandi, videtur potius ex applicatione quam ex litterali vocum sensu ortum duxisse; caeteroquin nullam nobis imponit necessitatem a sensu eorum obvio ac naturali recedendi. Quod si Christus, contra ac sentio, de fide, tanquam de virtute theologica, locutus sit, non inde statim sequeretur, donum inerrantiae Petro ejusque successoribus datum iri, etiamsi id Patrem Dominus rogasset. Ex precibus quas pro omnibus discipulis eadem nocte protulit, — ut nempe nullos ex iis quos Pater Ei dedisset, amitteret, et ut omnes qui credidissent, aut credituri essent in Eum, unum

essent (Joannis XVII. II. 12, 20),—cum rerum eventu collatis, satis liquet non omnem Christi precem exauditam fuisse; alioquin nec reprobi nec haeretici inter eos qui semel in Eum credidissent invenirentur. Praeterea, quando primatum Petro datum iri promisit, et munus Evangelium annuntiandi omnibus apostolis contulit, id praestitit, non supplicantis formam indutus, sed divinam potestatem Ipsi nativam manifestans: « Super hanc petram aedificabo Ecclesiam Meam ». — « Tibi dabo claves regni coelorum ». — « Sicut Pater misit me, Ego mitto vos ». — « Docete omnes gentes. Ego vobiscum sum ». — In his omnibus, sive in se spectatis, sive habita ratione rerum adjunctorum in quibus prolata sunt, nulla est ambiguitas; id quod dici nequit de verbis; « Rogavi pro te ut non deficiat fides tua; tu autem conversus confirma fratres tuos ».

CAPUT III.

Patrum testimonia.

In tradita Ecclesiae doctrina, prout illa in scriptis Patrum et Conciliorum generalium actis genuinis sese nobis offert, nihil occurrit quod clarum et indubium testimonium Pontificiae Infallibilitatis praebeat; dum plura inveniuntur quae cum ista sententia componi nequeunt. Quae de professione fidei edita a Graecis in Concilio Lugdunensi secundo, et de formula S. Hormisdae Papae, subscripta a Patribus Concilii Oecumenici octavi, — ad quae appellat canon propositus, attinet, ea quae ab auctore libelli nuper in lucem editi, sunt allata, (1) ostendunt thesim Pon-

(1) Observationes quaedam de Infallibilitatis Ecclesiae subjecto. Neapoli, 1870, pp. 24, 28. pp. 77, 78.

tificiae inerrantiae nullum in iis subsidium habere. Plures quidem textus ab istius sententiae advocatis afferri solent, quos expendere nec tempus suppetit, nec rerum adjuncta sinunt. Non desunt tamen plures episcopi in Vaticano concilio, qui eos omnes examini subjecerint, quique se paratos esse dicunt ostendere ne unum quidem ex textibus allatis, qui ex genuinis veterum scriptis desumantur, probare Romanum Pontificem pro infallibili a veteribus habitum fuisse. In re tam magni momenti optandum esset, ut, ex advocatis utriusque sententiae in Concilio, deputatio sex vel octo ex utraque parte constitueretur, quibus munus testimonia patrum conferendi et expendendi demandaretur; et qui coram episcopis in generali conventu exponerent, quid hac in re senserit antiquitas. Sed cum postulationi ejusmodi examinis, a pluribus patribus factae, praesides Eminentissimi Congregationis Generalis minime acquieverint, omissa singulorum textuum indagatione, tria facta, ab omnibus admissa, in memoriam revocabo; eaque sensum veteris Ecclesiae nobis exhibere, et nullo modo cum Pontificia Infallibilitate, qualis in canone citato jacet, componi posse, ostendere conabor.

1.

Cum Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, errorem de haereticis conversis iterum baptizandis tuitus fuisset, et contra Stephanum, Romanum tunc temporis Pontificem, acrius defendisset, Augustinus eum excusandum habuit, eo quod res de qua agebatur auctoritate concilii plenarii nondum esset eliquata; nulla habita ratione Stephani sententiae, qua iste error damnatus esset, et qua, juxta sententiam quam oppugno, ea controversia infallibili judicio jam sopita aut fuisset aut esse debuisset. Augustinum certe latuit Pontificiae Infallibilitatis doctrina, qua

admissa, Cyprianus non solummodo acrioris erroris defensionis, sed etiam haereseos notam contraxisset. Augustino Cyprianum excusanti consensit certe tunc temporis Ecclesia, cujus lumen et oraculum quasi habebatur.

2.

Controversiae de rebus fidei summis, postquam Ecclesiae pax data erat, ortae, conciliorum generalium decretis, non autem sola Romani Pontificis auctoritate, sopitae sunt. Ipsi Pontifices habebant conciliorum celebrationem, tanquam medium aptissimum, quo irretractabile de fidei doctrina judicium efformaretur; eamque, data occasione, promovebant. Hinc Leo Magnus in litteris ad Theodoretum Cyrensem, loquens de epistola sua ad Flavianum, et de Concilio Chalcedonensi in quo lecta erat, ait: «Quae (Deus) nostro prius ministerio definierat, fraternitatis universae IRRETRACTABILI firmavit assensu; ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius Christiani Orbis judicium recepisset.» Agnovit ergo Leo aliquid firmitatis, quae eam irretractabilem reddidisset, epistolae ejus ex acceptatione a Concilio accessisse. Lecta quidem in eo epistola, patres Chalcedonenses in voces prorupere: « Petrus per Leonem locutus est; ita omnes credimus ». Quae verba minime significant, ut asserunt Pontificiae Infallibilitatis advocati, Patres litteras ideo probasse quod Leo, Petri successor, eas dedisset: sed quod doctrina in iis exposita concors esset cum ea quam ipsi tenebant.

Agnoverunt in verbis Leonis vocem Petri, qui Romae tradidisset eamdem doctrinam quam alii apostoli, aut viri apostolici, tradiderant in ecclesiis ab iis fundatis, quarum fidei ipsi Patres testes erant, eo praecise modo, quo Leo testis erat fidei a Petro Romanis traditae. Cum enim

nonnulli inter eos postea dubitarent, an litterae accipiendae essent, facta est iis licentia conferendi testimonia patrum cum iis quae in Leonis epistola continebantur: id quod ostendit consensionem doctrinae, non auctoritatem Leonis, iis assensum conciliasse. Hoc extra dubium ponitur ex iis quae contigerunt cum litterae Agathonis in Sexta Synodo Generali allatae essent; quae, dum rem referret, silentio praetermisit scriptor Articuli *de Honorio* in libello, cui nomen, Civiltà Cattolica. *Quaderno 479* — medio mense Martio nuper elapso, Romae edito, ut lectori patebit ex brevi narratione eorum quae tunc contigerunt.

In actione quarta Sexti Concilii Generalis allatae sunt litterae Agathonis ab ejus legatis; sed nil de his hac vice factum est. In actione septima, die 13tia Februarii habita, legati Agathonis sic Imperatorem, qui aderat et praesidebat, allocuti sunt:

« Petimus a Deo firmatam vestram fortitudinem interrogari Georgium, sanctissimum archiepiscopum hujus a Deo conservandae regiae urbis, et subjacentem ei synodum, necnon et Macarium, archiepiscopum Antiochiae civitatis, et subjectos ei episcopos, si convenit ei tenor relectarum duarum suggestionum, id est, Agathonis sanctissimi papae apostolicae sedis antiquae Romae, et concilii ei subjacentis ».

Cum Imperator annuisset id fieri debere,

— « Gregorius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos, et Macarius sanctissimus Antiochiae, et qui cum iis erant, dixerunt: Piissime Domine, petimus ut exemplaria praedictarum suggestionum percipiamus. Recurrentes namque et conferentes testimonia, quae in iis sanctorum probabilium patrum cum codicibus hujus venerabilis patriarchii, in subsequenti dabimus responsionem. »

In octava subsequenti sessione, quae die 7.ma Martii habita est,

— « Gregorius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos dixit; Inspiciens, Pie Domine, omnem virtutem suggestionum directarum ad piissimam vestram fortitudinem tum ab Agathone sanctissimo Papa Romae, quam ab ejus synodo, et scrutans libros sanctorum et probabilium patrum, qui repositi sunt in venerabili meo patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum ac probabilium patrum quae in iisdem suggestionibus continentur, consonantia, et in nullo discrepantia a sanctis ac probabilibus patribus, et consentio his, et sic profiteor et credo. » (1)

Quam haec diversa sint ab iis quae scriptor in libello supracitato refert; ex cujus narratione quis conjicere possit litteras Agathonis, statim atque allatae lectaeque fuerint, absque ullo examine, receptas fuisse!

Ex hac etiam rerum serie quae in isto Concilio contigerunt, apparet litteras Agathonis non solum Romani solius Pontificis, sed « subjectae ei synodi » simul habitas fuisse. Id etiam valet de litteris quas ad Concilia Orientalia de rebus fidei dare consueverunt Romani Episcopi, quae non solum ejus sed insuper Ecclesiae Occidentalis judicia continere censebantur. Ex honorifica proinde istarum litterarum acceptatione ab Orientalibus nil derivari posse in probationem Romani Pontificis infallibilitatis obvium est. Qui Honorii lapsum olim excusare attentabant, eum adjutorio concilii usum non esse, cum infelices ad Sergium dedisset litteras, praetendebant. (2) Tam longe progressi sunt moderni Pontificiae Auctoritatis advocati prae eorum antecessoribus; cum hodiedum ipsum synodi nomen iis invisum esse videatur.

(1) Labbe XI. pp. 331. 338. Venetiis. 1767.

(2) Collectio Judiciorum de novis erroribus. Du Plessis. d'Argentre. Praef. p. 4. Paris. 1728.

3.

Celebris Scriptor Vincentius Lerinensis, qui quinto saeculo floruit, tradit in Commonitorio regulam fidei Catholicae qua fideles, in conflictu sententiarum episcopalium dirigerentur. Deficiente tunc regula quam tradiderat, — id solum tenendum esse, QUOD SEMPER, QUOD UBIQUE, QUOD AB OMNIBUS tenebatur, cum episcopi ipsi inter se dissiderent, sequendam esse antiquitatem et universitatem saltem majorem, docuit Lerinensis, ne verbo quidem facto de Romani Pontificis auctoritate, qui solus, juxta adversarios, sua sententia omnes controversias dirimere potuisset. Non tantum Vincentium latuit infallibilitas Romani Episcopi; sed Ecclesia tunc temporis, quae libellum istum maximo in pretio habuit,—et posterioribus saeculis tradidit ea commendatione quam minuere nequiverunt recentiorum temporum doctrinae — plane ignoravit, praesto ei semper fuisse medium fidem contra novatores tutandi, absque conciliorum interventu, in auctoritate Pontificia.

4.

Ante Vincentium, Irenaeus et Tertullianus ad consensionem ecclesiarum, tanquam ad fidei tesseram, provocavere : nec unquam alterutri in mentem venisse videtur errantes ad auctoritatem Romani Pontificis referre. Celebris etiam locus Irenaei ex libro tertio, capite 3, n. 2, adversus haereses sumptus, qui tam fidenter ab advocatis Pontificiae infallibilitatis citari consuevit, non est aliud quam applicatio argumenti ex consensione ecclesiarum derivati, quod tanquam maxime validum contra novatores urget. Cum enim, ut dicit, omnium ecclesiarum traditionem enarrare nimis longum esset, in exemplum sumpsit

Ecclesiam « maximam, et antiquissimam, ab apostolis fundatam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse esse omnem convenire ecclesiam, id est, omnes qui undique essent fideles ». In his verbis duo sunt perpendenda et distinguenda; aliud, vis argumenti; aliud, designatio Romanae Ecclesiae ob potiorem principalitatem. Vis argumenti non est derivata, in mente Irenaei, ex fide aut auctoritate ecclesiae quam in caeterarum exemplum sumpsit, sed in consensione omnium ecclesiarum quae in ista ecclesia exhibebatur. Romana nempe ecclesia maxima erat, antiquissima, et ab apostolis fundata. Omnem ecclesiam cum ea in fide convenire ostendebatur per ejus potiorem principalitatem, cum omnes ecclesiae, id est, omnes undique fideles, cum ea convenire debeant; nam frequentissimae occasiones quas habebant ad civitatem, totius Imperii caput, ob negotia eundi,—id enim significare potest vox *convenire*, vim vocis Graecae quae non adest forte minus recte reddens—fidem ejus perspectam habendi copiam fecerunt. Cum ab ista fide non dissentirent, obvium erat fidem Romanae Ecclesiae eamdem esse quam caeterae ecclesiae particulares profitebantur, cum in sacris inter se communicarent fideles undique eo convenientes. Ex nulla alia ecclesia exemplum sumi poterat quod omnes ecclesias, id est fideles qui undique essent, in fide concordes esse tam luculenter demonstrare potuisset. Hunc verborum Irenaei sensum, deficiente Graeco textu, scopo ejus magis consentaneum esse existimo, quam receptiorem ; et ex iis quae in capite subsequenti habentur confirmationem accipere. In eo enim resumit argumentum Irenaeus; et fidem ecclesiarum apostolicarum tamquam summum veritatis criterium invocat. Ex ejus autem verbis, quocunque sensu intelligantur, Pontificiam infallibilitatem deduci posse, nemo qui partium studio non sit abreptus, facile credet.

CAPUT IV.

Pontificia Infallibilitas.

Expendere volo nonnulla argumenta quae in Pontificiae Infallibilitatis gratiam afferre solent ejus assertores.

1.

SUPREMA PONTIFICIS AUCTORITAS.

Suprema auctoritas, quam in primatu tum honoris tum jurisdictionis Romani Pontificis agnoscit fides Catholica, secum trahere dicitur ejus infallibilitatem.

Lusus autem verborum est confundere supremam auctoritatem in Ecclesiae regimine, quae ad mentem Christi, — ut ex Ejus verbis tum ad Petrum tum ad caeteros apostolos inter se collatis, eam colligere licet, — et ad mentem Christianae Antiquitatis, — ut ex scriptis patrum et conciliorum actis desumitur, — intelligi debet, potius quam ad effatum Josephi De Maistre, viri certe honoris causa nominandi, sed exagerationibus plus aequo dediti, eam interpretari. Dictis, tum Christi tum Ecclesiae antiquioris inhaerendo, soli Ecclesiae supremam in fidei controversiis judicandis auctoritatem vindicant theologi quibus assentior. Auctoritas ista in conciliis generalibus, quae vere Ecclesiam representent, praesidente Romano Pontifice, exercetur, quando novi insurgunt errores, quibus aliter occurri nequeat.

Primatialis Potestas Romani Pontificis nonnisi abusive suprema dicitur; eaque loquendi ratio antiquis temporibus non invaluit. Sedem Romanam primam esse inter insigniores episcopales sedes ab omnibus quidem agnoscebatur. In-

de factum est ut legati Romani Pontificis primum locum in conciliis generalibus haberent; et ante omnes episcopos decretis nomina sua apposuerint, quamvis ipsi, ut plurimum, nonnisi presbyteri aut diaconi essent: inde quoque factum est, praecipue post Sardicense Concilium, ut appellationes ad eam ab omni undecunque parte factae fuerint. Primatum hunc tum honoris tum jurisdictionis nunquam tamen pro suprema auctoritate, qualis in regno monarchico obtinet, habuit ecclesia antiqua; sententiaque utrumque confundens nonnisi saeculis recentioribus introducta est, et post Lainesii celebrem in Concilio Tridentino concionem praecipue invaluit. Admissa hac sententia, Pontifex est in ecclesia fons, non quidem originarius sed depositarius, omnium gratiarum ministerialium, sicut in regno rex est omnium facultatum in regno administrando origo et dispensator. Supremae Pontificis auctoritati sic conceptae, non est mirum ejus fautores infallibilitatem etiam attribuere velle, et tunc tandem opus perfectum habituros sibi persuadere, quando Papa, sicut omnis potestatis ministerialis, sic omnis etiam veritatis, dispensator agnoscatur. Audiatur quid de hac idea monarchalis potestatis Romani Pontificis senserit vir Catholicus, Romanae Sedis studiosissimus, et disciplinis theologicis excultissimus, in litteris quas anglice scripsit, ante sexaginta plus minusve annos, in defensionem jurium Pontificum et episcoporum, cum utraque à sacerdote Hiberno in dubium vocata fuerint.

« Quaecunque sit auctoritas quae in Ecclesia viget, necesse est eam a civili potestate haud minus praxi quam origine distinctam agnoscere. Ecclesiastici gubernii ideam alicui ex formis quas humanae societates induerunt, aequiparare absonum est. Illud tanquam monarchicum, seu aristocraticum, seu democraticum, aut aliquid ex his compositum, exhibere, prodit mentem alienam a propositis salutaribus et aeternis Evangelii, quae in sola Ecclesia Catho-

lica ad effectum perduci possunt. Si licuerit gubernium ecclesiasticum aliquo speciali nomine designare, posset pro systemate faederato haberi, quia in unitate fundatur et existit. In ecclesia non est monarchia, — nisi ea quae sit Christi: non est aristocratia, non est democratia. Sunt quidem ministeria et munera distincta, quibus subditi assignantur. Summus autem magistratus in rebus spiritualibus, pro fidelibus, nequit esse aliud quam qui maxime repraesentet Christum; et Christus de se loquens dixit se venisse non ministrari sed ministrare, et vitam suam pro multis dare». (1) Quaenam ex his duabus ideis Ecclesiastici

(1) Whatever be the *authority* which exists in the Christian system, that authority, in its application, must be as different from the execution of worldly force, as it is superior in its origin. To seek for parallels between the genuine *idea* of christian polity, and the several species of profane or human organization of force, I consider to be extreme absurdity. To defend the government of the Church as a pure monarchy, or as an aristocracy, or as a republican system, or as resulting from any temperament of these three forms, must necessarily lead into error; and so far, must estrange the mind from the whole of the salutary and everlasting purposes of the Gospel, which, except in the Catholic Church, are not known, or cannot be realized. If it were lawful to circumscribe the Christian State by any general name, it might more aptly be ealled a federal system, because its essential compact is *unity*. There is no *monarchy* in the Christian Church, but that of Christ; there is no *aristocracy;* there is no power of the *commons*. There are ministries and officers distinct; and there are subjects amenable to these offices. But the highest magistrate of spiritual things can only be the next representative of Christ for Christians: and Christ has declared that he came not to have servitude performed unto himself, but to perform it, and to lay down his life as a ransom for multitudes. — CLINCH, Letters on Church Government, p. 48. — apud KENRICK. Theologia Dogmatica, Tract. de Ecclesia, C. XXII. n. 626.

gubernii Evangelii dictis et antiquioris aevi monumentis magis fideliter respondeat, judicet lector.

2.

EX CATHEDRA SENTENTIAE

Distinguunt Pontificiae infallibilitatis advocati inter ea quae Pontifex tanquam doctor privatus, et quae tanquam Pastor totius gregis Christi, seu *ex Cathedra* ut aiunt, docet. Eum errare posse in priore sensu agnoscunt; ab omni errore immunem esse quando, sedens quasi in Petri cathedra, ex ea universam Ecclesiam alloquitur, asseverant. Undenam autem hauserint istam distinctionem, quae magis ad difficultates evitandas excogitata quam ex rei visceribus derivata videtur, non patet. Non certe ex verbis Christi aut Ecclesiae antiquioris testimoniis; quae, si probent Pontificem esse infallibilem, nihil habent quod miraculoso huic dono limites apponat. Ipsi autem ejus assertores inter se non conveniunt in characteribus assignandis quibus utraque judicia ab invicem secerni possint. Aut enim eos reponunt in formula verborum, quam adhibere vel negligere penes Pontificem erit; aut in debita rei de qua agatur investigatione, implorato Spiritus Sancti influxu, et adhibitis etiam aliorum consiliis, de quibus tamen nemo praeter ipsum Pontificem scire possit; aut quod doctrina a Pontifice definita ad depositum fidei pertineat, de quo tamen, aut nemo praeter Pontificem judicare possit, aut istius sententiae tota vis evacuatur. Quidquid sit de his conditionibus arbitrarie statuendis, obvium est numquam fidelibus constare posse, Pontificem revera *ex Cathedra* locutum esse, cum iis nunquam constare possit, debitas, qualescunque sint, conditiones servatas fuisse, nisi eis persuasum fuerit Pontificem perpetuo Sancti Spiritus influxu

semper regi, adeo ut nunquam in judiciis erret, nunquam ab inordinatis affectibus se abripi permittere possit. Haec in se spectata credere, difficillimum erit: praelucente autem historia, impossibile. Neque dicatur Deum, cum donum inerrantiae Pontifici contulerit, non permissurum ut ferat judicium tantum in specie *ex Cathedra*, cum alioquin homines errori necessario obnoxii essent. Ista enim responsio supponit quod probandum est, — Deum nempe Pontifici id doni contulisse. Ecclesiae autem infallibilitas nulli hujusmodi difficultati obnoxia est, ut ex dicendis in capite V. patebit; cum in ipsa ejus constitutione fundetur, et aliunde divinae Assistentiae promissionem verbis explicitis receperit; nullumque miraculosum interventum requirat, cum omnibus facile patere possit, num ecclesiae orbis terrarum in fidei professione consentiant; — num, quando de Conciliis agitur, episcopi ex variis mundi partibus convenerint, in Concilio vera libertate gavisi fuerint, et, collatis inter se sententiis, judicium emiserint.

3.

DUPLEX INFALLIBILITAS

In proposito infallibilitatis Pontificiae canone duplex distinguitur inerrantia: Ecclesiae nempe et Romani Pontificis, quae utraque parem extensionem habere dicitur. — Contulit ergo Christus Ecclesiae duo media veritatis assequendae et tutandae; aliud simplex et perpetuum, Pontificis scilicet infallibilitatem; aliud autem neque simplex neque perpetuum, conciliorum generalium celebrationem. — Quis sanus haec sibi persuadere possit? Si Pontificis infallibilitas, et ea quae Ecclesiae esse agnoscitur, eadem sit, a qua proinde neque actu neque conceptu separari possit, tunc omnes idem dicimus, et controversia haec

exasperans nihil aliud est quam verborum lusus. Si autem ab ea, numero,— quod indicat praefatus canon,—quamvis non specie, distinguatur; adeo ut Pontifex Ecclesiae suam communicet infallibilitatem, aut ab Ecclesia suam ipsius accipiat, tunc dicendum est, Christum in Ecclesia aliquid supervacaneum constituisse; Eumque, nedum fidei firmitati et animorum consensioni providisset, utrique nocuisse. Testimonia autem supra allata ostendunt a Christo in Ecclesiam, — capite cum corpore conjuncto, — cum qua perpetuo se futurum promisit, infallibilitatem derivari; adeo ut neque caput corpori nec Corpus capiti eam communicare dici possit.

4.

IMMACULATAE CONCEPTIONIS DEFINITIO.

Definitio Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, per Bullam *Ineffabilis*, tanquam fidei dogma fidelibus credendum, adducitur in exemplum quod probet novum fidei articulum proponi posse, absque ulla difficultate, et magno cum pietatis fructu, si id Summo Pontifici visum fuerit. Magnum tamen est discrimen quod inter utramque definitionem intercedit. Quae de Conceptu Virginis immaculato sententia habetur a Catholicis, in Ejus honorem, proindeque in honorem Domini, qui ex Ea nasci dignatus est, cedit; et a longo jam tempore fidelium votis petebatur. Novum autem dogma plurima incommoda habebit, cum fidelibus imponat onus credendi Pontifices nunquam errasse; quod contra certissima historiae facta esse videtur; nunquam erraturum, quamvis Jus ipsum Canonicum contrarium supponit; (1) nullo facto discrimine inter errorem Papae tanquam Pontificis et tanquam doctoris privati.

(1) *Si Papa.* Pars 1. Dest. XI. C. 1.

Praeterea si Romanus Pontifex tamquam persona privata errare possit, et in haeresim incidere, cur supponi nequeat, eum haeresim suam tanquam *ex Cathedra* loquentem Ecclesiae obtrudere et posse velle et attentare. Non licet ad miraculosam quamdam Dei interventionem effugere, quod nimius ridiculum est ut seria refutatione indigeat.

Praeterea in ista definitione Conceptionis Mariae Romanus Pontifex non omnes sibi assumpsit partes; sed, sententiis episcoporum totius Orbis Catholici prius exquisitis, ad proclamationem novi dogmatis sese accinxit. Plures etiam ex diversis nationibus episcopos invitavit, ut sibi in ipso definitionis actu adesse vellent; quorum nomina in tabulis marmoreis insculpta, ipsius Pontificis jussu, in Basilicis Vaticana et Ostiensi videre licet. Haec cum ita sint, obvium est inter utramque definitionem quam maximum discrimen intercedere, tum quoad rem ipsam, quam tanquam Incarnationis, ut ita dicam, sequelam nonnulli habebant; quam nulli juri nocere, nulla incommoda secum habere posse, omnes sibi persuasere. Omnino aliter est de proposito dogmate Pontificiae Infallibilitatis, ut ex dictis dicendisque satis constat. Nam in definitione Pontificiae Infallibilitatis, praeter ista incommoda, adest jurium episcopalium laesio quam maxima. Iudices fidei episcopi semper habiti sunt, non eo sensu quod Pontifici judicanti assessores adsint, ut de Apostolis cum Christo judicantibus dictum est; quo in loco verum judicium intelligi nequit, sed probatio judicii Salvatoris, qui solus judex est vivorum et mortuorum. Si autem Pontifex *se solo* infallibilis sit, episcopi ei judicanti assentiri poterunt; sed verum judicium non exercebunt: proindeque jure muneri episcopali annexo privabuntur. Se ipsos autem hoc jure exuere NON POSSUNT, quantumvis velint, cum id Salvatoris instituto muneri episcopali annexum sit.

5.

THEOLOGORUM CONSENSUS

Asserunt Pontificiae infallibilitatis patroni eam sententiam adeo in Ecclesia praevaluisse, et etiam nunc praevalere; et tam strenue, saltem a longe majorum theologorum numero propugnatam fuisse, ut eam negare idem esset ac asserere ipsam Ecclesiam errare; proindeque eos qui eam oppugnent nonnisi defectu dogmaticae definitionis, quam ferendam urgent, haereseos notam effugere. Agnosco sententiam quam oppugnandam suscepi, a majore saltem theologorum schola, inter quos plures sunt altarium honoribus aucti, a quatuor praecipue saeculis, in Ecclesia multos asseclas habuisse, et adhuc habere. Nec ideo censeo eos qui isti sententiae refragentur, statim tanquam fidei suspectae haberi oportere; cum omnes norint aliud esse, aliquam sententiam in Ecclesia praevalere, aliud, ipsam Ecclesiam eam suam fecisse. Ecclesia quidem, ut ait Augustinus, quae sunt contra fidem et mores, neque probat neque tolerat; sed nihilominus sententias quae fidem attingant, quin ei contradicant, permittit a fidelibus libere teneri et defendi. Piae etiam sententiae quae in publico etiam cultu aliqualem auctoritatem habere videantur, quae tamen non tanquam doctrinae necessario credendae proponuntur, ad gradum dogmatis evehi nequeunt, nisi adsit aliud argumentum, quo constet eas ad fidei depositum pertinere. Adest semper Divina Christi Providentia, qua cavet ne istae sententiae, quando fundamento careant, aut fidei monumentis non sint consentaneae, supremo aliquo Ecclesiae judicio, ad fidem pertinere declarentur. Sic per plura saecula viguit sententia, ab omnibus fere Christianis

accepta, Christum Petro, ejusque successoribus, supremam auctoritatem in rebus etiam temporalibus contulisse. Eam duobus gladiis, quos apostoli nocte coenae Domino obtulerant, indicatam fuisse, nimis callida responsionis Ejus: «satis est» — interpretatione, hauserunt, et in suis decretis promulgarunt Pontifices Romani. Nec intra limites scholarum aut decretalium assertionum ista sententia constitit. Ei adhaerentes et nixi, Pontifices Romani reges deponere, regnaque eorum in alios transferre, et supremam rerum temporalium auctoritatem in ditionibus alienis exercere, aut, ut per alios exerceretur, attentarunt. Extra forsan Romanum Clerum, in cujus Proprio Officio S. Zachariae paucis abhinc diebus, legimus, eum regnum Francorum in Pipinum a Childerico auctoritate apostolica transtulisse, — quis hodiedum haec non respuat, non deploret, et, aut in malitia temporum, aut in Romani Imperii constitutione, aut in consensu saltem implicito Orbis Christiani — aliqualem horum excusationem invenire non conetur? Ipsi tamen Romani Pontifices eam quam sibi arrogabant potestatem Divinae ordinationi acceptam non modo retulerunt, sed eam sententiam in fidei articulum erigere, quantum in iis erat, attentarunt. Bonifacius VIII., in Bulla *Unam Sanctam*, post allatum praeclarum duorum gladiorum exemplum, ita declaravit: « Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. » — Quod de subjectione in temporalibus locutus sit, nemini in mentem dubitare venire posset, qui rerum adjuncta in quibus praedictam Bullam promulgavit perspecta habuerit, et sensum quem ei inesse docuerunt gravissimi theologi, quales sunt Suarez, qui doctrinam inibi enuntiatam ad dogmata fidei pertinere asserit, et Bellarminus, qui, eam referens, ait « non esse rem du-

biam sed catholicis certam » Pontificem habere potestatem in temporalibus (1). Attamen nonnulli in praesenti Concilio adsunt episcopi , inter quos harum scriptor, qui, solemni juramento praestito, declararunt Romanum Pontificem in Anglia saltem nullam hujusmodi habere potestatem. Ex hoc exemplo discant qui infallibilitatis Pontificiae definitionem urgent, nihil valere quamcunque solemnem Pontificiam declarationem, etiamsi in synodo prolatam, qualis fuit illa Bonifacii VIII., si fundamento careat in Verbo Dei scripto aut tradito. Quod de re prorsus alia dixit Tullius , his quoque eventu probatur convenire: « commenta delet dies; judicia naturae confirmat ».

Non igitur inficior sententiam Pontificiae inerrantiae plurium doctorum ac sanctorum etiam virorum auctoritate fulciri; sed nego eam proinde pro certa haberi debere, multo minus pro sententia quae ad fidei dogma evehi posset. Facile est reddere rationem, quarenam ista sententia tam diu duraverit, et tam late praevaluerit. Quemadmodum ex ficta Constantini Magni Silvestro Romano Pontifici donatione, illa sententia de Pontificis potestate in temporalibus orta , aut saltem confirmata fuit, et omnes fere mentes pervasit; sic ea quae nunc obtinet sententia Pontificiae inerrantiae ortum duxit, aut saltem confirmationem accepit, ex confictis antiquiorum Romanorum Pontificum decretis et epistolis , aliorumque veterum libris. Quibus auctoribus ista confecta fuerint, incertum est: quibus autem bono fuerint, minime dubium. Haec opera supposititia a sanctis doctisque etiam viris , nil dolo suspicantibus, pro genuinis eorum quorum nomina prae se ferebant, habita sunt. In his autem facies Ecclesiae antiquae alia exhibetur, quam historiae ecclesiasticae monumenta genuina eam fuisse ostendunt. Contraria tamen sen-

(1) *Observationes*, supra citatae, pp. 58-62.

tentia nunquam defensoribus caruit, et per decem saltem priora Ecclesiae saecula sola recepta est. Ab undecimo autem saeculo, quando Graecorum schisma factum est, cum totius fere Christianitatis populi in patriarchatu occidentali continerentur, accepit vires sententia illa et invaluit, miseria temporum obscuriorum, et iis artibus quas supra commemoravi, adjuta et quasi confirmata. Non est praemittendum plures qui ei patrocinari primo aspectu videantur, Pontificiam Infallibilitatem cum ea quae Ecclesiae est confudisse, et proinde non nisi verbis a sententia nostra dissensisse habendi sunt.

CAPUT V.

Ecclesiae Infallibilitas

Ecclesiae infallibilitas in clara luce ponenda est ut ob oculos habeatur, in quo consistat, et quibus mediis sarta tectaque servetur. Ex Christi promissione, quod portae inferi contra Ecclesiam nunquam praevaliturae sint, constat eam semper duraturam, nec unquam a fide deficere posse. Idem probatur ex verbis Christi ad apostolos: « ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi ». In ipsa etiam Ecclesiae notione fundatur; si enim Ecclesia à fide deficere posset, homines necessario in errorem inducerentur; cum ex alia parte Ecclesiam audire tenerentur ; ex alia autem Ecclesiae erranti obsequendo, fidem sanctis traditam deserere cogerentur. Ecclesiae infallibilitas sese extendit ad omnia et sola quae Christus apostolos docuerat, sive per se sive per Spiritum Sanctum, quem apostolis die Pentecostes immiserat; nam post Christum nulla nova revelatio doctrinae admittenda est. Depositum fidei, a Christo sic acceptum, Ecclesiae custodiae traditum est, ea lege ut nil novi ei accedat, nil ei detraha-

tur. In traditione doctrinae fundatur, juxta verba Pauli ad Timotheum; « quae a me accepisti ea trade fidelibus hominibus qui et alios docere possint » (1).

Non est tamen donum aliquod miraculosum, quamvis Christi promissione firmatum; sed ex ipsius Ecclesiae constitutione oritur, et in ipsa ejus natura fundatur. Ad ordinem quidem supernaturalem pertinet, quia Ecclesia, a Christo fundata ut hominum salutem promoveat, Divinam Ejus Assistentiam semper habet, qua ab errore in fide moribusque docendis immunis servetur. Divina ista Assistentia est caute distinguenda ab immediato Spiritus Sancti influxu, qui nomine « inspirationis » communiter intelligitur, quam Ecclesiae decretis nullus theologus attribuit. Extensio Ecclesiae in orbe terrarum, et fundamentale ejus principium,—nihil innovandum esse, nil nisi quod traditum sit, fidelibus proponendum,—certum suppeditant argumentum eam a veritatis tramite nec defecisse, nec, quoties adsit consensio ecclesiarum, deficere posse. Quod Apostoli, dicit Tertullianus a Christo accepere, id Ecclesiis tradidere. Quod unum est apud omnes Ecclesias, ab apostolis, aut ab apostolicis viris, fundatas, non est inventum sed traditum; si enim erratum fuisset, idem error apud omnes non inveniretur. Consensio igitur ecclesiarum semper habita est tanquam fidei tessera; ad quam antiqui patres semper appellavere; quin supernaturale donum inerrantiae silentio omnino praeterierint, quamvis illud allegare, disputando cum novatoribus, non multum consueverunt. Haec Ecclesiae infallibilitas, ut ita dicam, naturalis, ad ordinem supernaturalem evecta, differt toto coelo ab inerrantia quam Romano Pontifici vindicat proposita definitio; quae perpetuam miraculorum seriem in ordine tum intellec-

(1) Tom. II. 2. 2.

tuali tum morali exigeret; siquidem in eo haberi nequit Ecclesiae infallibilitatis fundamentum, consensio nempe ecclesiarum, quae impossibilem reddit doctrinae mutationem, quin ejus vestigia appareant.

CAPUT VI.

Concilia Generalia

Consensio ecclesiarum exhibetur in Conciliis Generalibus, in quibus Ecclesia Universalis per singularium ecclesiarum episcopos praesens quasi sistitur, et in quibus, quando fides contra novatores in tuto ponenda sit, conquisitio fieri solet, ut vetus doctrina, adhibito nonnunquam novo vocabulo,utnovatorum artibus et effugiis obviam fiat, solemniore modo declaretur. Nonnisi necessitate cogente ista concilia in antiqua Ecclesia habita sunt. Sic quando controversia in ipsis Ecclesiae primordiis de obligatione legis Mosaicae conversis a Gentilismo ad fidem imponenda, orta sit, convenerunt Apostoli et Seniores Hierosolymis; et sententiis expensis, celebre decretum ediderunt: Visum est Spiritui Sancto et nobis, etc; (1) quo omnis ista controversia sopita est. Sic deinde, decurrentibus saeculis, habita sunt plura Concilia, praesertim Niceae, Constantinopoli, Ephesi et Chalcedone; in quibus errores contra fidem damnati sunt, et antiqua Ecclesiae doctrina clarius et fusius, pro adjunctorum necessitate, explicata est. Summam auctoritatem his conventibus inesse credidit antiquitas Christiana; et etiam nunc agnoscunt non modo Catholici, sed etiam maxima pars eorum qui ab Ecclesia separatos celebrant coetus.

Theologi communiter infallibilitatem Conciliis Generali-

(1) Act. XV.

bus tribuunt, certis tamen positis conditionibus, quas exponere non est hujus loci. Verba Salvatoris; « Ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine Meo, Ego ero in medio eorum »; nec non loquendi rationem adhibitam in decreto Hierosolymitano supra allato;— «Visum est Spiritui Sancto et nobis»—adducunt in probationem sententiae, in se quidem verissimae, cujus tamen ratio ponenda est in consensione ecclesiarum, quam concilia exhibent, potius quam in dono aliquo extraordinario quod episcopis in iis coadunatis Deus largiri censeatur. Infirmae prorsus sunt contrariae sententiae probationes, quae ex verbis supra allatis educere solent theologi. Vix supponi debet Christum Concilia Generalia respexisse, cum se in medio duorum in suo nomine congregandorum affuturum promiserit; multo minus ex eo quod apostoli, Spiritus Sancti donis cumulati, scripserint: « Visum est Spiritui Sancto et nobis », — eadem verba, in eodem prorsus sensu, ab eorum successoribus jure posse adhiberi. Assistentiam quidem Spiritus Sancti in Consiliis Generalibus praeberi minime inficior; sed vix ferenda est ista loquendi ratio, qua videretur nihil in Conciliorum decretis contineri, nisi quae Spiritus Sancti dictamine scripta fuerint ; cum ex eorum actis liqueat fidem in Conciliis in tuto positam esse, collatione testimoniorum antiquorum patrum potius quam auctoritate quam ipsis competere, ex Spiritus Sancti assistentia derivatam, concilia credidissent, In plurium etiam conciliorum actis nonnulla occurrunt quae cum ista sententia vix componi queant: qualia sunt, citationes ex libris apocryphis desumtae; infirmae fidei veritatum probationes, cum ex regia via traditionis doctrinae ad ratiocinationem et scripturarum allegationem delapsum sit; et humanorum affectuum motus vividiores, quos in multis eorum plus aequo sese exhibuisse, nemo qui conciliorum acta percurrerit, inficiari potest.

Ista conclusio ad evidentiam usque perducitur, uno aut

altero exemplo adducto ex Conciliorum serie, quae pro generalibus ab omnibus nunc habentur, et per plura saecula ut talia in universali Ecclesia habita sunt. Concilium Constantinopolitanum primum, quod inter Generalia secundum numeratur, non erat in sua celebratione oecumenicum; cum ex orientalibus tantum episcopis, iisque haud magno numero collectis, celebratum sit. Attamen non tantum Macedoniani errorem, Divinitatem Spiritus Sancti impugnantis, confixit, sed Symbolum Niceae editum ampliavit.

Undenam auctoritatem Concilii Generalis postea acquisivit, adeo ut de eo haud minus quam de Niceano, Ephesino et Chalcedonensi valuerit Gregorii Magni notissimum dictum, et nemini in veteri Ecclesia licuerit, ejus decretis in rebus fidei refragari? Ex acceptatione Ecclesiae, consensione nempe ecclesiarum, in iis fidem cum suis ipsarum traditionibus consentaneam agnoscentium. *Huic* acceptationi debuit vim quam ei nemo orthodoxus postea negavit. Non Spiritus Sancti in eo loquentis auctoritati cessit orbis Christianus, sed infallibilitati Ecclesiae Universalis, illud recipientis et pro suo judicio irretractabili habentis. Inter ea quae in isto Concilio decreta sunt habetur elevatio Sedis Constantinopolitanae ad altiorem gradum quam antea habuerat; id quod etiam postea in Concilio Chalcedonensi contigit. Attamen neutrius auctoritas adeo valuit ut in Occidentali saltem Ecclesia perturbatio ordinis hierarchici, in Niceano Concilio stabiliti, per istam innovationem pro legitima haberetur; et quoad hoc utriusque auctoritas ab ea rejecta est. Si Spiritus Sancti auctoritas pro Concilio saltem Chalcedonensi, quod in se generale erat, invocari possit, quarenam disciplinaria decreta, quale erat illud, novam sedem patriarchalem inducens et supra Antiochenam et Alexandrinensem evehens, eo auxilio caruisse ab omnibus agnoscitur?

Non est necesse multa de quinto Concilio, secundo Constantinopolitano, dicere, cui Romanus Pontifex Vigilius tam longe restitit, quamvis ei denuo consenserit; indeque magnam sibi conflavit invidiam apud Occidentales, quorum plures eum pro haeretico habebant. Notum est omnibus, Historiae Ecclesiasticae scientia etiam leviter imbutis, quam diu plures Ecclesiae, insigniores etiam Episcopi, isti Concilio obstiterint, quin ideo pro haereticis aut haeresi faventibus haberentur. Postquam lites istae per saeculum plus minusve durassent, tandem aliquando sopitae sunt; et auctoritas Concilii agnita est; non quod decreta illius Spiritus Sancti dictamine condita fuisse crederetur, sed quod, re penitius explorata, Patres, tria Capitula damnando, nihil Chalcedonensis auctoritati detraxisse, et sic ab avita fide non discessisse, compertum fuerit.

Cum igitur Concilia se congregata esse in Spiritu Sancto dicunt, haec loquendi ratio aliud non probat quam, quod cum Ecclesia Spiritus Divini influxum, quo nunquam caret, semper imploret, tunc praecipue invocanda sit Divina Ejus Assistentia, qua adjuvante veritatem ab erroribus secernere, mediaque aptissima ad eam tutandam adhibere possit; quin tamen ulla fidelibus necessitas imponatur, conciliorum decreta tanquam totidem Spiritus Sancti dictamina accipiendi.

In conciliis Generalibus, quae ideo oecumenica dicuntur, quia episcopi ea universo Orbe Christiano in iis con veniunt, Ecclesia supremam suam in rebus fidei auctoritatem exercet; adeo ut, cum debitae in eorum celebratione servatae fuerint conditiones, qui eorum decretis sese subjicere renuerit Catholici viri nomen non meretur. Nec ideo sequitur Ecclesiam magisterium suum doctrinale nonnisi in conciliis generalibus exercere; cum fides ejus, ex symbolis in conciliis generalibus conditis,

ex libris liturgicis, et episcoporum quotidiana verbi Dei praedicatione, fidelibus innotescit. Si novi errores insurgant, qui ordinario hoc magisterio sopiri nequeant, tunc ad concilii celebrationem recurrendum est, ut finis controversiis imponatur. Magisterium igitur infallibile, pro diversis rerum adjunctis, semper exercet Ecclesia, eadem semper auctoritate quamvis non semper eodem modo; nunquamque destitit esse filiis suis «columna et firmamentum veritatis». Sic in antiqua ecclesia factum est, felici prorsus exitu, cum errores contra Divinam Christi naturam exorti essent, qui omnes damnati sunt quatuor praecipue priorum conciliorum auctoritate, quorum effata Gregorius Magnus non veritus est Evangeliorum dictis etiam aequiparare; id quod certe de nulla alia Ecclesiasticae auctoritatis sententia ausus esset asserere. Et sic procul dubio erroribus insurgentibus felicius et etiam citius occurri posset, quam solius Romani Pontificis auctoritate, accedente etiam Ecclesiae, ut aiunt, dispersae assensu, episcoporum aut subscriptionibus aut silentio probato. Iste enim assensus nec temere supponi debet, nec facile probari potest; et conditione conquisitionis magnae (1), quae in conciliis, collatis inter se episcoporum sententiis, habetur, carere videtur. Novatoribus semper licebit eum denegare, et aut episcoporum incuriae, aut metui ne Pontificis decretis reniti viderentur, tribuere. Mora autem in conciliorum celebratione necessario eventura, rei de qua quaestio sit melius enucleandae inservire potest: et summa eorum auctoritas, omnium consensu agnita, magis apta videtur errantes ad tramitem veritatis revocare, quam Romani Pontificis decretum, quod tanquam unius hominis, et quasi praepropere editum, recusare possint. Non desunt qui putant graviora mala quae Ecclesia per quatuor ul-

(1) Art. XV. 7.

tima saecula perpessa sit, aut non tam late pervadere, aut tam diu perdurare, potuisse, si concilia generalia citius et crebrius quam actu evenit celebrata essent.

Ex his sequitur in Conciliis Generalibus moralem unanimitatem suffragiorum requiri, ut decreta in iis lata pro certa et irrefragabili Ecclesiae sententia, utpote ecclesiarum consensionem exhibente, habeantur. Si ex unius alteriusque nationis episcopis consistat Concilium, quod Generalis nomen sibi assumit; aut, quod idem est, si unius alteriusque nationis episcopi numero superent aliarum nationum episcopos, adeout in ejusmodi rerum adjunctis, omnia juxta sententiam suam, nulla habita ratione eorum qui caeteras nationes repraesentent, decernenda ve lint, obvium est ejusmodi decreta consensionem ecclesiarum non exhibere; et proinde fundamento cui innititur ipsa Ecclesiae infallibilitas, carere. Sic in Concilio Vaticano adesse dicuntur Episcopi Itali ad numerum 275, cum ex tota Germania, Gallia, Anglia et Statibus Foederatis Americae Septentrionalis nonnisi 234 in initio Concilii affuisse relatum sit; quorum plures varias ob causas jam discesserunt. Praeterea inter eos qui suffragia in Concilio Vaticano ferunt, plures sunt qui in Romana Curia munia implent, episcopali charactere insigniti; qui tamen nullam ecclesiam repraesentant, de quorum jure suffragia in Conciliis ferendi theologi inter se disputant; Plures adhuc sunt qui, Vicariorum Apostolicorum nomine, missionibus exteris praeficiuntur, et ad nutum Pontificis amoveri possint; et adhuc plures, qui charactere episcopali carent, sed quibus ius suffragia in Conciliis ferendi ex consuetudine acquisitum est; quales sunt Cardinales qui non sint episcopi, Abbates, et Ordinum Religiosorum Superiores. Hi omnes, inclusis Episcopis Italis, ad numerum 471, accedere dicuntur, qui omnes, re bene perspecta, pro Italis haberi debent. In his rerum adjunctis, decretum de Pontificia Infallibilitate, modo fera-

tur' repugnantibus magno numero aliorum nationum episcopis, in Vaticano Concilio latum, non poterit haberi pro testimonio Universalis Ecclesiae, fidem quam a'majoribus acceperat tradentis; quamvis ei etiam accesserit Pontificia confirmatio, quae rerum naturam non mutat, sed, ni aliud obstet, solemniter testatur omnia in Concilio rite facta fuisse.

In his quae scripsi de Concilio Vaticano, rerum non hominum vitia collegi. Longe a me sint privilegium, jure etiam consuetudinario acquisitum, denegare; adhuc longius minuere velle vim quam Episcopi Itali,—qui doctrina et pietatis studio insignes sunt, et qui in adjunctis adeo difficilibus versantur, sibi competere jure divino asserere veraciter possint.

Manente inequali episcoporum numero in variis nationibus, ut Concilii decreta pro testimonio totius Christianitatis haberi possint, sese offert ratio, adhibita, *felici* prorsus exitu, in Concilio Constantiensi, nempe ut, suffragia, non per capita sed per nationes seu linguas ferantur. Sic enim rerum tractandarum examini citius et felicius provideretur. Episcopi enim ejusdem linguae aut nationis, ecclesiarum quibus praesint necessitates melius perspectas habent, et iis providere possent. Facilius etiam inter se sua sensa communicare possent, lingua vernacula cui assueverint utentes, quam in generali conventu, ubi lingua Latina necessario adhibenda sit, quam per longam rerum tractationem forsan dediscerint, et sic aut in concilio silere, aut loqui cum rubore cogantur. Sic etiam discussioni seu conquisitioni, quae in Conciliis haberi debet locus daretur; quod in Concilio Vaticano non evenit. Amplissima quidem facta est facultas loquendi; sed, ob magnum numerum patrum, et regulas per constitutionem *Multiplices inter* et subsequens *Decretum*, Patribus impositas, nulla omnino facultas est res penitiori examini subjiciendi: — altero

nempe alteri respondente et rem quasi acu tangente , eo modo quo veritas omnibus patescere posset. Quinque fere menses jam elapsi sunt ex quo concilium inceptum est; quo cum exitu dicere non est necesse ; cum res omnibus pateat. Interim neminem latet, magnam animorum commotionem, suborta quaestione novae definitionis, excitatam fuisse, et adhuc fervere in orbe christiano; aliis novam definitionem postulantibus ; aliis e contra strenue repugnantibus. Episcopi cum episcopis colluctaturi in arenam descenderunt: presbyteri in suos etiam ipsorum praesules , nec non in alienos, stylum acuerunt ; et Summam laudem consecuti sunt. Ephemerides ex utraque parte universos quasi attentos facit, expectatione eorum quae immineant: quae facta sint non semper fideliter referentes, aut saltem male interpretantes. Licetne conjicere quem finem habitura sint haec omnia ; quisnam erit terminus procellae adeo vehementis, quae in coelo adhue sereno tam subito exorta est, et tot malorum gravis esse videtur? Sibi certe illudunt qui putent fluctus statim compositum iri, nova fidei definitione promulgata ; cum contrarium eventurum multo probabilius sit. Qui Concilii decretis obsequi vellent, invenient se maximis in difficultatibus versari. Gubernia civilia eos tanquam subditos minus fidos, haud sine verisimilitudinis specie, habebunt. Hostes Ecclesiae eos lacessere non verebuntur; nunc eis objicientes errores quos Pontifices aut docuisse, aut sua agendi ratione probasse, dicuntur; et risu excipient responsa quae sola afferri possint,—errores istos non ut Pontifices sed tanquam totidem privatos episcopos Romanos sanxisse. Scandala quoque quae a nonnullis ex Pontificibus, mundo stupente, data fuisse historia ecclesiastica narrat tanquam totidem argumenta fidei Catholicae sibi parum consentientis in medium proferent adversarii, haud distinguentes inter infallibilitatem et impeccabilitatem,

cum utraque videatur a se invicem pendere, et inter se nexum indivulsum habere. Triste est haec referre, sed sua utilitate non caret incommodorum praevisio, quibus cum evenerint sera medicina parabitur.

Finem his impositurus, liceat scriptori unum aut alterum ex motivis quae allegare consueverunt definitionis propositae advocati, quibus ad eam urgendum et quasi ipsi etiam Pontifici extorquendam, se duci dicunt. Aliud est, Romanum Pontificem in praesentibus rerum adjunctis munus ipsi demandatum Ecclesiam Universalem regendi adimplere nequire, ob ordinis moralis totam quasi turbationem, quae his temporibus praevalet; cui nullum aptius remedium excogitari possit quam auctoritatis Pontificiae confirmatio, eam extra omnem dubitationis aleam ponendo, infallibili Pontificis judicio in rebus fidei et morum, ex sententia Generalis Concilii, stabilito. At per decemocto saecula, in rerum adjunctis etiam difficilioribus Pontifex sua munia adimplevit, et ecclesiae naviculam a procellis adhuc majoribus, agitatam, incolumem servavit; quin tamen ulli in mentem venerit Ecclesiam aliquo adjutorio caruisse quod ad ejus conservationem necessarium esset. Arcae titubanti optimi isti viri manum extendere volunt, in Divinis rebus rationibus humanis plus aequo innixi.

Non tali tamen auxilio tempus eget. Auctoritas Ecclesiae stabilienda est, non eam ultra fines ipsi à Christo praestitutos extendendo, sed eam intra istos continendo. Populi non sunt ab Ecclesia alienandi, metu iis incusso ne jugum, quod se projecisse sibi persauserint, iterum subeant, cum quae jam apud plures nationes politiae principia obsoleverint — feliciter aut non, parum refert, — sibi tanquam totidem fidei articulos, seu sub anathemate, impositum iri audierint. Gubernia civilia sunt potius concilianda, quando id fieri poterit absque fidei laesione, quam

repellenda; ideoque nihil debet fieri quod ea in suspicionem ducat Catholicae Religionis professionem cum principiis quibus constituta existunt conciliari non posse. Haec sunt media quibus auctoritas Ecclesiae stabiliri et extendi posset; non autem Pontificiae Infallibilitatis definitio, quam risu accipient hostes Ecclesiae, et quae plures fideles etiam discrimini fidei Catholicae abjiciendae exponet.

Aliud est quod pudet referre. Dicunt Pontificiam Infallibilitatem adeo acriter ab adversariis definitionis propositae impugnatam fuisse, ut eam pro fidei veritate non declarare idem esset ac agnoscere eam fundamento carere, ac inimicorum insultibus in dies crescentibus, inermem ac inultam tradere. Oblivisci volunt sibi ipsis imputandum, quod tristi huic controversiae locum dederint, mundo stupenti annuntiando in Concilio Vaticano duo nova dogmata, Infallibilitatis nempe Pontificiae et Assumptionis B. V. M. fidelibus propositum iri; scriptis que de Pontificia Potestate in Anglia et Statibus Unitis, eodem quasi afflante spiritu, in lucem publicam editis, quibus mentes pararentur ea quasi divinitus revelata recipere. Certe meliora sunt flagella amici quam oscula inimici, quamvis sibi nil tale suspicantis. Qui amicissimos Sedis Romanae sese anteaostenderunt, nunc inimici facti sunt, dicentes veritatem. Excitati hac audacia, quam etiam insignes praesules, in litteris ad clerum populumque directis, nedum repressissent, suo patrocinio dignam invenerunt;—cum viderent gravissima incommoda quae exinde secutura pro certo habebant, vocem sustulere viri aeterna memoria digni et laudem apud Deum habituri, qua monerentur fideles, nihil innovandum in rebus fidei; Pontificiamque infallibilitatem, cum ab ea quae Ecclesia est sejungatur, carere testimonio Scripturae et Traditionis; et omnimodis difficultatibus obnoxiam esse; conquisitione non acclamatione in Conciliis agi oportere. Iis quidem sic veritatem loquentibus vitio vertitur, quod populos com-

moverent; idque ab iis qui aliter silentium pro consensu habuissent, et sic consilia ad effectum perducere, nemine reclamante, potuissent. Viris etiam bonis persuadere conati sunt, necessitatem adesse aliquid faciendi, quod honorem Sanctae Sedis incolumem servet; obliti non quod expediat sed quod verum sit, praesules ob occulos habere oportere; idque quod ipsis apostolis non competebat, eorum successoribus non competere, aliquid adversum veritatem sed pro veritate posse.

Liceat, coronidis ad instar, mentem exprimere de iis quae, si alia consilia placuissent, a Concilio Vaticano sperabantur. Convocatio Concilii Generalis, post plus quam trecentos annos, et Litterae Apostolica Sede vere dignae, ad orientales ecclesias et dissidentes in occidente directae, pluribus spondere videbuntur instare tempus quando errantes ad gremium Matris redirent. Plorandus status Ecclesiarum Orientalium, et mira illa animorum conversio quae plures inter protestantes impellebat, ut principia Catholica susciperent et instituta pia Ecclesiae imitari vellent, id eventurum facile persuadebant viris bonae voluntatis. Omnis autem ista spes evanuit, patefacta intentione Concilio ad aliud utendi, quod unionem nedum promoveret, eam quasi impossibilem reddere videbatur; cum exinde difficultates novae veteribus adjicerentur. Non certe novarum doctrinarum propositio Conciliaris, sed authentica ejusdem explicatio earum, quae jam stabilitae sint, et quae dissidentium mentes a nobis alienatas faciant, aptum medium videtur ad bonum unitatis consequendum: id quod fieri posse, salva semper veritate, plures inter nos et inter protestantes et cupierunt et crediderunt. Si ex iis quae intra ipsam Ecclesiam, suborta quaestione de Pontificia Infallibilitate, contigerunt, conjecturam sumere licet quonam ea a dissidentibus excipiatur, difficile erit aestimare damnum quod

exinde Ecclesiae scopo, qui est salus animarum, obvenit. Viri Catholici, licet Curialium sententias aversantes, Ecclesiae addictissimi, conceperunt formidinem, ne, acquisito Pontifici jure de rebus fidei et morum irretractabiliter judicandi, novi obices ponerentur scientiarum sacrarum et profanarum progressui. Vindicata enim potestas de omnibus quae remote etiam Religionis Revelatae veritates attingant judicium ferendi, metum inculcare apta videbatur, ne sententiae in se verae aut saltem innocuae, sanae doctrinae nocivae Pontificis consiliariis viderentur, ut contigit in theoria heliocentrica, quam cum verbis Sacrae Scripturae componi non posse crediderunt Romanae Inquisitionis tunc temporis consultores. Si haec vera sint pro Catholicis, quid dici debet de dissidentibus tum orientalibus tum occidentalibus, qui ideo praecise ab Ecclesia separata manent, quod aversentur Pontificiam auctoritatem, qualis ista ab omnibus Catholicis agnoscitur, cum eam viderent auctam, imminutis episcoporum juribus, et orbis Catholici pace turbata. Orientales certe antecessorum suorum vestigiis inhaerentes eisque forsitan pertinacius insistentes; protestantesque, inter quos tam multi sunt ecclesiasticis disciplinis apprime exculti, vix adduci poterunt ut bonum unitatis avitis praejudiciis anteponerent; aucta infallibilitatis dono Pontificia auctoritate, quo omnem spem tolli eis videbitur eam ad pristinam formam revocari posse. Faustiora sperare liceret, si, nedum jura episcopalia minuerentur, ea extensionem quam in antiqua Ecclesia habebant recuperarent; et, manente vinculo cum unitatis Catholicae centro, Romana nempe Sede, quoad fidem et generaliora disciplinae capita, permitteretur ecclesiis nationalibus, providere sibi, pro rerum locorumque adjunctis, — ipsis certe melius innotescentibus quam consultoribus Romanarum Congregationum, quibus utraque necessario aut omnino

ignota aut minus perspecta esse debeant. Haec saltem aliqua ex parte sperabant multi inter Catholicos, multi etiam qui ad Ecclesiam redire, aequis conditionibus, se velle significarunt: qua spe frustratis nil eis manet nisi Deum iteratis precibus rogare, ut tandem aliquando aedificentur muri Jerusalem.